



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Decennium Apostolicum S. Francisci Xaverii Indiarum II. Japoniarum I. Apostoli**

**Nevhsii**

Annus quartus. Christi MDXLV. Xaverij XLVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37272**



X. Magnum denique nos,  
& vel maximum in Xaverio vivo mortuoq;  
Te Xaverium veneramur.

Hæ excellentiæ, *Bases illæ decem sunt,*  
decennalis apostolatûs magni  
sustentatrices. 3 Reg. 7.

Annus quartus.  
Christi M D X L V.  
Xaverij XLVIII.

**I**N Cinnamomi messem gemmarumque piscatu-  
ram evocat Te, Apostolice Zelator, dives utroq;  
Ceilanus; ubi ex itinere ad Proto-Apostoli Tui  
Thomæ monumentum peregrinantis more conten-  
dis, novos è sacris cineribus ignes lecturus. Et  
verò hi adeo Tuo Te agglutinasse videntur Colle-  
ga, ut noctes integras ad Thomæ aut Mariæ aram  
adhaerescens, neque ineptis dæmonum interpella-  
tionibus, neque plagis crudelibus posses avelli. Ma-  
lacam subinde depravatam penitus, & verbis &  
factis admirandis reformas, quàm sub solis occa-  
sum obiens incolas nolâ excitatos pro exoranda  
animarum purgantium lethaliter ve peccantium  
salute admones solenni carmine.

Memo-



*Memorable vidit quoque annus hic, cum insequen-  
tium tela manusque barbarorum declinanti  
arbor bene magna cedit; hic annus idem Te ma-  
ris & mortis contemptorem, ventorum domi-  
num, hic noctes integras inter preces excubantem,  
hic coram sacratissimâ Eucharistia saxo indormi-  
scentem, & animas somniantem, hic Macazaria  
adeunda perpetes curas volventem traduxit. O  
tuorum nos fac participes desideriorum laborum-  
que, indefesse Xaveri!*

Decem Apostolici zeli artes  
ab apostolico Xaverio  
per decennium & usurpatæ  
& traditæ Collegis.

Primum submittit hoc anno, Tibi  
Europa subsidium, Francisce;

Cui hunc Tu primum scribis decalogum.

- I. In Xenodochio diversantor operarii,  
ut in demissionis charitatisq; palæstrâ.
- II. Nullus infantium baptismus negligitor;  
ut hi saltem cælum repleant,  
futuri pro adultis popularibus advocati.
- III. Pueritiæ catechesis prima curarum esto,  
ambitiosissimo studio digna occupatio.
- IV. Idolis Juranto excidium.

V. Pel-

- V. Pellaci ad sacramēta studeatur industriæ.  
 VI. Peccatores materna expugnet suavitas.  
 VII. Animorū cura & liberalis sit & gratuita.  
 VIII. Labores charitas condiat & oratio.  
 IX. Excitet ad ardua, ab indignis revocet  
 vocationis memoria.  
 X. Crebrum deniq; litterarum commerciū  
 membra capiti, Europæ Asiam conjungat.  
 Ecce operarii apostolici!  
 Apostolus Xaverius ostendit vobis pactum  
 quod præcepit ut faceretis, & ~~decens~~ verba,  
 quæ scripsit in Tabulis. Deut. 4.

Annus quintus.

Christi M D X L V I.

Xaverii X L I X.

**H**ucusque Amboinus anni hujus libat primi-  
 tias, ubi irrequietus apostolicis sudas labori-  
 bus, Xaveri, & indefessâ ferves in advectam illuc  
 sub Ferdinando Sosa egram classem charitate. Hic  
 Tuum Tibi Jesum mari placando immissum reddit  
 Cancer marinus. Tum Molucas, ut aromatis ita  
 vitii fertiles, & Ternatem in primis Insularum  
 caput purgare suavi illâ Tuâ efficacîâ insistis, &  
 magnum